

MEMBRUM III.

1575.

ET POSTREMUM
DISPUTATIONIS

27.

De
NOTITIA DEI
NATVRALI.

In quâ

Attributa, seu proprietates Dei Energiticæ, in quantum hæc humana ratio, ex libro naturæ seu Philosophiâ cognoscit proponuntur.

ET

CUM AUXILIO DIVINO

In Illustri Academia VVitebergensi, jussu ac consensu

Amplissimæ facultatis Philosophicæ:

PRO LOCO

*In eadem facultate sibi concessa, ponderanda
exhibentur*

à

M. ABRAHAMO HEINECCIO

VVittebergensi.

Respondente

PAULO SCHENCKIO Hamburgensi

Saxone.

Coll. diss. A
49, 35

in Auditorio Majori, ad diem 6. Junij, horis à 6. Matutinis.

VVITTEBERGÆ,

Apud PAULUM SCHETLERUM Anno 1617.

a. M. CXIX. 35.



VIRIS

*Reverendis, Excellentissimis, Clarissimis,
meritisq; in Ecclesiam Christi Praestantissimis*

Dn. JOHANNI SCHELHAMERO
Ecclesiae quae est apud D. Petrum Hamburgi
Pastori ac Seniori.

Dn. M. NICOLAO HARDKOPFIO Ecclesiae
ad D. Nicolai ibid. Pastori.

ET ET

*VIRIS Prudentissimis, Spectatissimis, singulari pietate multoq;
rerum usu laudatissimis*

Dn. ADAMO Baselier Praefecto in Wansebeck.

Dn. JOHANNI Berenbergk

Dn. PAULO Berenbergk

Dn. JOHANNI WOLFGANGO Zuter.

Dn. NICOLAO Baselier.

Dn. DIONYSIO Geltkirchen Cognato,
Mercatoribus in Inclytâ Hamburgâ Celeberrimis

*Ceterisq; Dn. suis studiorumq; suorum Promotoribus
singulis ac Univerfis*

Debitae observantiae &

Gratitudinis ergo

Disputationem hanc Publicam

Inscribit

Paulus Schenckius Hamburgensis S.





1577

DISPUTATIONIS

De

NOTITIA DEI NATURALI

Membrum tertium

De attributis Dei Energiticis.

THESIS I.



Ationem distinctionis attributorum divino-
 rum in *συστατικά* & *ἐνεργητικά*, in superiori-
 bus ostendimus, atq; in duabus disputationibus pro-
 virili declaravimus. Nunc *ἐνεργητικά* confide-
 raturi, inter ista sequentia ponimus, dum de
 DEO ex natura, & rationibus Philosophicis
 affirmamus, quod sit VERAX, JUSTUS, BONUS, VOLUNTATIS,
 LIBERRIMÆ, OMNIPOTENS, PRINCIPIUM, & CAUSA PRODU-
 CENS, CONSERVANS, & GUBERNANS OMNIA. In his enim attri-
 butis omnibus divina majestas, præ cæteris ad effecta sua cõcur-
 rit, ac operationes extra essentiam suam positas, perficit: Quan-
 quam alias non diffiteamur, si veritas, bonitas, & voluntas Dei,
 in se, non ad opera externa collata considerentur, & ut in Dei
 simplicitate, cum essentia simplicissimã conveniant, ad attributa
 Dei *συστατικά* haud incommode referantur. Sed ob concipiendi
 nostrum modum ab illis distinguere volumus, & peculiari in disputati-
 one considerare, cum potissimum ad creaturas collata appare-
 ant. Idq; hoc tempore eò lubentius, cum si materia dignitatem spe-
 ctes, nulla præstantior, sin ubertatem, nulla copiosior, sin uti-
 litatem, nulla, utilior. Ecquæ enim mens humana considerare
 potest utilius quam Deum, à quo primam suam desumpsit origi-
 nem, & in quem ceu finem ultimum merito defertur. Omnis
 enim veritatis ac felicitatis Deus princeps est, & omnis contemplationis prin-
 cipi-

incipium finis & medium, cui adhereant necesse est, qui beati esse cupiunt.
Eamquè hoc ipso in loco cò tractamus confidentius, cum si de
Deo sermonem habuerimus, hunc quoq; nobis affuturum, & propitium au-
xiliatorem confidimus, quod ardentè ac devotè precamur, ut is qui
summa veritas, summaq; bonitas, nos servet, & nos in omni veritate pro-
pter bonitatem suam deducat.

II.

PRINCIPIO igitur non dubij de bonitate ac veritate
Dei, ut ad essentiam divinam pertinent, quæ etiam nisi planè
religionis expertis in dubium vocaret, quin potius cum *Richard. l.*
2. de Trin. dicat: Veritas Deus est. Nam sicut nunquam non fuit,
sic nunquam non erit, semper enim verum fuit, futurum fore
quod erit, & semper verum fuit, fuisse quod fuit. Ergo veritas
Deus sicut initium non habet, sic & sine carebit. Nec inrectè
concluditur SUMMAM VERITATEM DEUM esse,
quia summa est entitas. Solus Deus intellectui sui conveniens, cum quo
ipse unum est, qui sibi ipsi mensura, sibi similia, ac propterea verus dicendus
erit. Non minus BONVS. Hoc enim & Arist. vel in iis affirmat,
dum. l. 1 Eth. c. 6. & in substantia bonum dici affirmat, ut Deus
& mens est. Imo ab hoc uno acceperunt cætera omnia Entia, ut
bona sint. Hæc enim prima omnium causa, atque æterna natu-
ra, unde illud MERCURII? Etenim ex his qui præter ipsum appel-
lantur Dij seu Dæmones, sive homines, nullus esse tam bonus potest quam
Deus unicus, unde etiam verissimè dicitur. Sola Entia in Deo
bona esse, extra Deum verò non bona, sed divine bonitatis indiga: Imò
quando influxum suum bonitas ipsa subtraxerit, bono deficien-
te in nihilum universa corruant.

III.

De his igitur nihil ulterius, veritatem ac bonitatem Dei,
quod & instituti est, prout hæc ad creaturas sese exerunt, confi-
derabimus. Et primum de veritate Dei agentes, isthæc dupliciter
considerari potest. 1. Vel quoad IPSUM, prout vera de se ipso ac cre-
aturis concipit, 2 quoad CREATURAS, prout ea quoque quæ i-
p̄s revelat vera sunt. ILLA est ipsa Dei SCIENTIA, qua absque
imperfectione materiali, quæ reperiuntur in scientia humanâ
vel Angelicâ, omniquè restrictione ad qualitatem, habitum,
ac

804

ac quamcunq; potentialitatem, per essentiam, ac per se subsistentem
habet scientiam, quæ nunquam ita in actu suo primo esse potest, ut ab actu
secundo, eaq; puro & ultimo in re ipsa separatur: neque etiam ab actu
primo elicita, præsupponens potentiam aliquam intellectu-
vam, aut speciem intelligibilem quæ per modum actus primi vi-
cem obiecti impleat, sed prout hæc includit totam perfectio-
nem quæ est in intelligente, omnemq; perfectionem & virtu-
tem quæ ad intelligendum requiritur. *Vi sic divina scientia non solum
sit ipsa et Dei substantia, sed formaliter de essentia ipsius Dei, prout intelle-
ctio & scientia Dei, idem formalissimè sunt.* Ea; propterea SIMPLI-
CISSIMA PERFECTISSIMA, VNIVERSALISSIMA, CLARIS-
SIMA, EVIDENTISSIMA, CERTISSIMA, OMNIBVS SVM-
ME ADEQVATA, VERISSIMA, INEFFABILIS, AC INVARI-
ABILIS, sine omni compositione, diuisione ac dictursu, simplici intuitu vi-
dens quæ composita sunt, INVARIABLEITER, quæ variabilia, & SI-
MUL quæ successiva, includendo formaliter omnes virtutes intellectuales,
simplicissime unitas in unica perfectione sua, absq; omni opinione & fide, o-
mnij; imperfectione, quæ cadere posset in scientiam.

IV.

Ac hæc ipsa scientia, quia ut dictum non est causata, sed immate-
rialissima, & purissima, DEUS SEIPSUM, ET OMNIA QUÆ IN-
TRA SE SUNT, primò, necessariò, ac perfectissimè cognoscit, ceu ob-
jectum maximè proprium proportionatum connaturalis sui intelle-
ctus, sibi enim est conjunctissim9. Res verò reliquas omnes, tum ratione
existentiæ, tum ratione operationum suo infinito lumine & aeternâ visione extra
omnem temporis rationem attingit, ita ut in scientia ipsius nihil sit præ-
teritum aut futurum, sed omnia presentissima ex sua æternitate, &
in sua intuetur essentia, iuxta quod rectè dicitur illud Dionysii.
Deum unico complexu simplicissimo videndo suam essentiam, vi-
dere omnes alias essentias, participabiles ab illa, & videndo su-
am necessitatem essendi, videre possibilitatem aliorum Entium,
non quod Deus cognitione isthac indigeat, sed quia hoc divina
requirit perfectio, quatenus nimirum Deus ut loquitur Suarez.
d. 30 s. 15. d. 6. necessariò comprehendit suam essentiam, qua
comprehensa necesse sit Deum comprehendere, quicquid in eâ
formaliter, vel eminenter continetur, tum quicquid ab illa di-
manare potest. Quæ ut speciatim declarentur, sequentia probè
observanda sunt.

A 3

s. Quem

V.

Quemadmodum enim Deus Invariabilis & Immutabilis est, ita & SCIENTIA ejus licet terminetur ad objecta maximè mutabilia & variabilia, tamen ipsa prorsus IMMUTABILIS & INVARIABILIS. Inprimis verò SEIPSUM cognoscit perfectissimè, ceu objectum primarium & accommodatissimum suæ scientiæ, se enim per seipsum intelligit & sibi est conjunctissimus, cum summa actualitate & immaterialitate, unde etiam fit, quod eum in scientia creaturarum, objectum & scientia ex natura rei ad minimum distinguantur, *scientia Dei, ut scientia seipsam pro primario objecto habeat*, siquidem scientia Dei formalissimè ipsa essentia divina est, ut in superioribus dictum. Atq; isthæc scientia quam habet de seipso, *simplicissima est*, sine compositione, sine discursu, aut aliquâ aliâ imperfectione, neq; solum est *apprehensiva*, sed etiam *judicativa*, simulq; *directa & reflexa*, licet propriè neq; quia, neq; propter quid dici possit, sed altior aliqua sit scientia, quæ potest dici propter seipsam, unde Thom. 1. part. s. q. 14. art. 2. & 3. Deum dicit se per seipsum intelligere & comprehendere, quia per hanc scientiam scit Deus quicquid in se est & modo perfectissimo, quod omni creaturæ impossibile.

VI.

Præter hanc verò suam essentiam, Deus quoq; cognoscit creaturas omnes, tum in sua essentia in quâ eminenter continentur, prout eminentiam omnium rerum creabilium in se formaliter Deus habet, tum quoq; *secundum proprium & formale ipsorum esse* quod in se ipsis habere possunt, juxta quod in ipso non formaliter sed eminenter sunt, ita tamen ut hanc scientiam quam de creaturis ipsis habet, non ab ipsis creaturis sumat, neq; ad illas ita terminetur, ut necessariò illis indigeat, & ad modum nostræ scientiæ ab ipsis dependeat, sed dum eas respicit ut objectum secundarium, illas consequenter & ex eminentia suæ perfectionis attingit, Neq; Deus indiget creaturis ad suam perfectionem, sed potius hæ ipsæ ex divinâ eminentiâ ac potentiâ, cum quâ conjuncta est sapientia, habent ut sint actu & possibiles. Hocq; ipsum requirit tum ejus infinitas, tum potentia juxta quas omnia operatur & intelligit. Et quia infinita ejus est cognitio, ideoq; uno intuitu omnem veritatē cognoscibilem comprehendit, quia etiam æterna, ideo omnia tempora

com.

805

complectitur, & juxta hanc æternitatem nihil in ea præteritū, nihil futurum, sed omnia præsentissima.

VII.

Dirigitur verò hæc scientia Dei non modo ad res maximas, sed & minutissimas, nec modo ad species, sed ad ipsa individua universa & singula, & non modo ad proprias rerum naturas, sed & operationes creaturarum omnium, & cogitationes hominum, sicut dixit SIMPLICIVS. Deus vilia hæc non contemnit, quæ producere non est dedignatus, neq; est Deo difficilis gubernatio, cui est procreatio facilis, & ut Orpheus cecinit.

*Spiritus hunc nullus nec vis nec fama latere,
Arcanumvè potest, penetratq; per omnia victrix.*

Nemo profecto qui malus est Deum latere potest, neq; sagacibus dolis aut verbis acerrimum oculum subterfugiens, omnia plena Deo, Deus ubiq; vagatur, uti notat Mutius Pansa ex oraculis Apollinis ex Philosophia responsorum Porphyrij, Cujus etiam sententiam quam habet p. 396. osc. Christ. & Ethn. Phil. dum inquit: Res omnes Deus non in seipsis sed in seipso cognoscit, easq; non per earū imagines, sed per suam intuetur essentiam; nec distrahitur circa plurima, sed omnia conspiciat tanquam unum, nec in cognoscendo laborat, quia non quærit, sed possidet, nec divertitur à gravioribus ut consideret leviora, quoniam eodem intuitu hæc videt & illa, instar oculi, qui uno intuitu stellas in cælo plurimas contuetur, cum iis qua à nobis dicta consentire facile deprehendet.

II X.

Sic etiam cognoscit ENTIA RATIONIS, quæ formantur ab intellectu humano, non quidem ac si ipse sicuti intellectus humanus judicet de universalibus per applicationem notionum secundarum, aut ne multitudine rerum singularium confunderetur, eas per notiones istas restringeret, sed ut loquitur Suarez disp. 54. s. 2. d. 23 quia Deus comprehendit omnes actiones humanæ imaginationis vel rationis. Ergo comprehendit omnes fisiones formales (ut ita dicam) quæ in his potentijs esse possunt. Ergo etiam cognoscit fisiones objectivas, quæ illis actibus mentis correspondent, seu obijciuntur atq; ita cognoscit omnia entia rationis, quæ per operationes harum potentia

tia

tiarum quovis modo insurgere possunt, quæ repetit l. 3, Com. in
I. part. D. Thom. Deus non fabricatur Ens rationis, nec distincti-
onem rationis, tamen cognoscit illa prout à nobis cogitari pos-
sunt. Ratio v. est quia necessario hoc sequitur ex infinita com-
prehensione quam Deus habet rerum omnium & potentiarum.
Et quia Deo unico simplicissimo actu de omnibus iudicat, & abs-
que omni compositione ac divisione simpliciter id cognoscit, ac
intuetur, quod nos per divisionem intelligimus. Hoc quoque pacto
Deus videt negationes, quibus unum negatur de altero, cum quo
que prout illæ obiectivè in mente hominis esse possunt.

IX.

NON ENTIA verò, quæ in negativa & privativa distin-
guimus, & ipsa à Deo cognosci dicimus. Ac ista quidem quia
planè non sunt, neque unquam existunt Deus intelligit quod illa
nec actu sint, nec reale esse in se habeant, nec unquam futura
sint, licet ipsius omniscientiæ non absconditum quæ requirantur
ad ipsorum essentiam si existere debeant. Id verò quod vulgò di-
citur Deum cognoscere *ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, indicat
partim nullam requiri creaturarum existentiam ut illa Deus in-
telligat, neque eius exinde dependere scientiam, quod supra di-
ximus, partim quod Deus cognoscat unum quod est, esse, sicut est,
vel non esse sicut non est. ENTIA verò PRIVATIVA, quorum pri-
vatio consistit in debita bonitate formaliter, aut partibus ad su-
am constitutionem necessariis, & dicuntur MONSTRA, aut in-
carentia rectitudinis debitæ tali actu libero, & dicuntur VITIA
AC PECCATA in his ipsis cum ex natura Entium privativo-
rum duo semper concurrant, primò ipsum materiale, in quo est
privatio, & deinde ipsa privatio: hinc dicimus *quicquid reale vel
positivum est in illis, vel circa illa, Deum directe cognoscere, & cum cogno-
scat omnem positivam eorum capacitatem, omniaque bona ipsis debita, per ab-
sentiam eorundem ipsorum defectum malaque cognoscere*, atque dum sic co-
gnoscit mala in se nullo pacto habet malitiam; Ubi tamen ante
omnia distinguendum est inter scientiam SIMPLICIS NOTI-
TIÆ, quam theoreticam dicunt, & APPROBATIONIS, quam
etiam practicam, juxta quam scientia ejus ad operationem quoque
dirigitur. *Hic mala Deus nescit, de quo & inferius dicitur: illa verò
nullatenus ipsi sunt abscondita, ut superiori gentilium constat testimo-*
mo-

806
monio; idemq; de falsitate, seu erroribus intellectus humani esto iudici-

um

X.

Deniq; de FUTURIS CONTINGENTIBUS, quæ in suis causis nullam habent determinationem, neq; habent determinatam scibilem veritatem, ea quoq; minimè divinæ scientiæ eximenda sunt. Sicuti enim in superioribus diximus, DEUS infinito suo lumine, & æterna visione, attingit omnia tempora, & in singulis intuetur, quicquid in eis est, & quod respectu diversarum partium ipsius temporis, futurum, vel præteritum denominatur, Deo semper est præsentissimum, & cum in istis semper alterutra contradictionis pars vera sit, DEVS eam ex sua æternitate intuetur, cum totâ efficaciam seu concursu causarum suo tempore futuro absq; omni medio extrinseco. Atq; hoc pacto collata ad res singulas scientiæ Dei dicitur OMNISCIENTIA, atq; DEUM dicimus OMNISCIENTIUM, quem nihil latere potest, uti hætenus per partes singulas demonstravimus, respectuq; futurorum, scientiæ Dei dicitur PRÆSCIENTIA, quæ tamen NULLUM rebus futuris INFERT NECES-SITATEM, cum hæc non propterea fiant, quia Deus præscivit, sed isthæc DEUS præsciverit, quia illa futura sint. Et quemadmodum visus humanus rebus nullam infert necessitatem, licet dum videntur aliter se habere non possint, ita nec ipsa Dei præscientia rebus quas prævidet ullam necessitatem importat, nisi illam quam consequentiæ dicunt statuere volueris, quæ stare potest cum contingentia. Nam ut loquitur *Snaresz disput. 30. p. 15. d. 32.* Hinc non fit ut per hanc præscientiam DEUS imponat necessitatem aliquam rebus sic cognitis, quia hæc scientia ut sic, non est causa earum &c. præscientia itaq; cum rerum præscitarum causa minimè confundenda est.

XI.

Et hac ratione cum DEUS de rebus singulis maximis, minimis veritatem concipiat, ipse etiam in ijs quæ revelat hominibus, minimè illos decipit, atq; exindè etiam quo ad nos VERUS seu VERAX est & dicitur. Cum enim ipsi uti monstravimus nihil sic absconditum, nec ulla in re decipiatur, cum sit principium omnium, omnium medium & finis, jubens tempora ab æternitate defluere, temporaq; ipsa in æternitate reducens, supra tempus, supra ævum, supraq; cæli verticem consistens, ubiq; sit, omniaq;

B

omniaq;

omniaq; circumspiciat. Hinc rectè dicitur, quod *omnis veritas à Deo sit, ab eoq; omnes creaturae, in esse, quam in cognoscere veritatem percipiant, & quod veritas utut obumbretur, coeletur, abscondatur, deprimatur, nunquam tamen extinguatur, aut vincatur, quia à Deo est.* Neq; etiam huic ullus hominum potest resistere, ut non fiant quæ Deus dixerit. Hoc enim inter mortales maximum ejus testimonium, quod irrevocabile sit ac minimè mendax quodcunq; dixerit. Neq; igitur ALIA atq; ALIA ERIT VERITAS aut quod Deus in naturâ dixerit, hoc in scriptura falsum erit, quod concedunt omnes illi qui Philosophiam Theologiæ dicunt contrariam, aut qui verum in Philosophia, falsum in Theologia affirmarunt, nisi alterutram à Deo non esse prius probarint. Deus enim *ideo est, quia verus est, non esset, si verus ipse non esset, quia autem verus est, ideo vera sunt alia quæ ab ipso sunt, & quæ falsa sunt ab ipso esse non poterunt;* Sed potius exinde concludimus, quicunq; falsa unquam protulerunt, & se Deos dixerint, non Deos, sed Dæmones fuisse.

XII.

Alterum attributum Dei ἐνεργητικόν est VOLUNTAS; quâ dicimus DEVMESSE VOLUNTATIS LIBERRIMÆ, quam itidem si consideras, prout in ipso est, per modum actus ultimi & puri, ipsamet est Dei substantia, & non saltem ex natura rei, aut reali identitate cum ipsa est idem, sed formaliter & essentialiter, ad attributa συστατικά referre poteris prout verò ad objecta confertur, & non modo ad seipsum, sed quoq; ad creaturas omnes prout à nobis concipitur, ad ἐνεργητικόν referimus. Est autem VOLUNTAS Dei attributum Dei, quâ Deus absq; omni imperfectione, omnibusq; passionibus imperfectionem includentibus, ab aeterno, ea quæ cognovit, & quæ placuerunt voluit. Hoc enim requirit tum ejus perfectio, tum quia ad omnem formam appetitus ipsi proportionatus sequitur, juxta quem habet naturalem inclinationem vel determinationem non semper in rem distinctam à se & per modum desiderij, sed & reflexe in seipso per modum amoris & quietis, quem ad suum esse, & perfectionem non tantum extrinsecam, sed potius ad actualem suam entitatem, quæ non est aliud quam

quam

807

quam ipsa, obtinet. Atq; hujus appetitus ac voluntatis objectum tam late se extendit, quam scientia, quod etiam in descriptione innuimus, quocirca ita loquitur Suarez disp. 30 p. 16. d. 15. sicut intellectus Dei non solum in ipso, sed etiam in rebus alijs versatur, quatenus alia etiam ratione objecti intelligibilis participare aut induere possunt: ita & voluntas non solum potest velle Deum ipsum, sed etiam alia, quatenus rationem objecti diligibilis participare possunt,

XIII.

PRIMARIUM enim OBJECTUM VOLUNTATIS DIVINÆ IPSE DEVS EST, cui objecto necessario & naturaliter illa voluntas per amorem conjungitur, à quo amore Deus nec voluntariè cessat, in eoq; perfectio ac felicitas sua consistit, tum quia maximè proprium & proportionatum sibi objectum est, & sicut Deus necessario est non ex causa, sed formaliter, & ex se, ita hic amor eodem modo est necessarius, quia & essentialiter Deus est, & ipsa Dei essentia, adeoq; necessarius non modo quoad specificationem, sed & quoad exercitium. Præterea verò quia omne bonum est communicativum sui, habet Deus naturalem propensionem ad sui bonitatem communicandam, non quod ipsi aliquam commoditatem aut perfectionem afferat, sed quia propensionem seu inclinationem bonitatis ejus consentanea est: propterea Deus etiam vult res omnes extra suam essentiam positas, & res præsertim existentes, quia habent suum esse ex voluntate Dei, ut inferius declarabitur. Ergo etiam Deus vult illas ut habentes tale esse, proptereaq; dicitur terminari ad illas in seipsis, id est secundum proprium esse earum, quæ tamen omnes bonitatem suam ab ipso accipiunt, ob quam etiam Deus illas vult propter seipsum, & propter bonitatem suam, tanquam in fine ultimo. Quæcumq; verò à Bonitate hæc deflectunt, Deus non vult, sed potius ipsi displicent & odio habet, dumq; fiunt, neq; ipso volente, neq; nolente fiunt quia nihil possit ipsius voluntati resistere, sed non volente, dum permittit ista, & ad bonum finem se it dirigere.

XIV.

Ac propterea DEVS quoq; JUSTVS dicitur, qui non modo iusta unicuiq; tribuat, sed etiam qui iustis operibus delectetur, iniusta v.

B 4

puni;

punit, hinc Ethnici: DEUS *presens* adest, qui *justis operibus delectatur non injustis*. Et Menander in *Auriga* cecinit: oportet DEUM *justum esse*. Undè DEUM unum rerum omnium patrem & Dominum dixerunt, bonorum inventorem & conditorem, venerandum & adorandum, eum qui *semper est omnium Dominus & pater, eum perpetuò honorare decet, tot bonorum inventorem & conditorem, & si Dij injusta & mala perpetrent, non DEOS dixerunt, sed potius è cœlis eliminarunt & nihil eos esse contenderunt, sicuti Euripid. in Bellephor. Si Dij vitiosa faciunt, non sunt Dij*. Quemadmodum verò *in voluntate nostra triplex ordo actuum intelligitur*. Primus secundum eum ordinem quo animi passiones numerantur. Secundus juxta ordinem actuum, qui in humana actione consultatione, & deliberatione interveniunt. Tertius verò per varias virtutes voluntatis: *ita hæc DEO quoque attribuimus, seclusis imperfectionibus; Sic Deo tribuimus amorem, gaudium, iram; non verò ipsi tribuimus tristitiam, spem, audaciam, timorem, quia hæc imperfectionem aliquam arguunt; Sic Deo tribuimus intentionem finis, electionem mediorum, non quidem ut in nobis distincti sunt actus, & unus cau'at alterum, sed ut in divina voluntate unus sunt actus simplicissimus, & cum dicimus Deum velle unum propter aliud, locutio illa solum ordinem objectorum inter se significat. Et cum voluntas divina per seipsam habeat summam rectitudinem in omni honestate, non ut actus primus tantum, sed ut actus ultimus, perfectissimus, & simplicissimus ita quoque Deo attribuimus virtutes morales, quæ versantur circa actiones, non passiones, aut imperfectionem aliqua includunt, id verò non per modum habitus sicut in nobis, sed per modum actus puri & ultimi.*

XV.

Deniq; si quæritur, *an Deus res extra sese velit, necessario an liberè?* Diximus DEUM esse voluntatis liberrimæ, non quidem erga seipsum, nam hoc summæ perfectionis est seipsum ceu summum bonum independens, summæque necessarium, necessario amare & econtrariò libertas in tali amore esset magna imperfectio, ideoque LIBERTAS hæc quo ad Entia extra ipsum intelligenda erit, quæ minime vult ex necessitate naturæ, absq; concursu intellectus & voluntatis, sed virtus ejus indifferens determinatur, neq; per quoddam superius neq;

808

per materiam, sed per exemplarem conceptum, & adjunctam voluntatem sive intentionem finis. Neq; enim Deus agit secundum absolutam suam virtutem, neq; etiam juxta capacitatem naturalem subjecti nullum enim bonum cognoscitur extra Deum, ab eo ut necessarium, vel ad suum esse, vel ad suam felicitatem, vel ad suam perfectionem consummatam, & etiamsi Deus non communicaret suam bonitatem creaturis, tamen non careret statu, perfectione, aut actione sibi debita, nec ageret contra inclinationem suam, sed solum non ageret secundum aliqualem inclinationem suam, quia non inclinatur nisi cum subordinatione ad rationem & voluntatem. Verum dum Deus in ipsa aeternitate simul de omnibus rebus extra se deliberavit, ita illud quod simul decrevit permanet, ita ut ipse maneat immutabilis, effectusq; ab illa procedentes contingentes dici possunt, quatenus ipsa contingentia in perfectionem & mutabilitatem excludit, & solum notat indifferentiam, quam effectus in suo ordine ad causam obtinet. Et haec etiam de voluntate Dei dicta sint.

XVI.

Tertio OMNIPOTENTEM DEUM dicimus, quam potentiam aliqui vel solam inter attributa Dei *ἐνεργητικότητα* referunt, quia haec per se & primo versatur circa creaturas, omnesq; actus suos circa illas exercet, ejusq; actio transiens est, atq; sic potentia divina nihil aliud est, quam ipsum esse divinum, ut per se ad extra efficax, & propterea ab essentia, scientia, & voluntate non nisi ratione distinguitur, nostroq; loquendi modo, divina potentia, scientiae, ac voluntati subordinatur illi quidem ut dirigenti actionem, huic vero ut moventi & applicanti, siquidem Deus nihil nisi voluntarie & libere operatur, quod ita *Suar. d. 30. s. 17. d. 47.* ipsum esse divinum per se ipsum est principium proximum, quasi eliciens & exequens omnem actionem ad extra, quod est esse ipsam potentiam. Quia vero hoc ipsum praestat perfectissimo modo, indiget intellectu & voluntate, illo ut dirigente, hoc ut applicante. Quia vero ipsa scientia & voluntas non sunt in Deo aliud quam suum esse, ideo per illud habet Deus quicquid necessarium est ad agendum perfectissimo modo; atq; ita tandem divina scientia & voluntas sunt causae rerum, in re quidem, per se ac propriissime efficiendo

B 3

illas,

illas, quatenus in re sunt ipsum esse, & ipsa omnipotentia Dei: Secundum proprias vero rationes, altera dirigendo, altera verò applicando potentiam exequentem, à qua secundum rationem distinguuntur.

XVII,

Et hanc potentiam Deo attribuendam esse humana cognoscit ratio, si non materialiter, tamen formaliter, potentia enim hæc ad perfectionem pertinet, & nullam imperfectionem includit, quæ ita est ad agendum ut nullo modo sit ad recipiendum, cum quicquid per illam efficiatur extra illam sit proptereaq; illa potentia verè effectrix sit, à qua omnia Entia reliqua dependeant. Tàm late verò se extendit potentia divina, quàm late Entia possible, atq; sic Deus dicitur posse omnia, quæcunq; rationem factibilitatis habent, seu quæ sunt possible, & non involvant contradictionem, idem simul esse & non esse, est quæ divina potentia infinita, quod dicunt, tum intensivè tum extensivè, quæ est ipsa OMNIPOTENTIA DEI. Ac INTENSIVE quidem quia est ipsamet essentia Dei ut per se immediatè operativa, tanquam principium principale & immediatum operationis, quæ non est superaddita secundum rationem essentia. EXTENSIVE verò quia in latitudine suorum effectuum non habet terminum, quod iterum Suarez citata disp. s. 4. Potentia Dei infinita est non solum in sua perfectione Enticativa, nec solum in modo agendi, sed etiam in objecto quantum ex parte illius esse aut intelligi potest infinitas.

XVIII.

Quamquam enim *minimè omnium potentia divina sicut potentia creatæ ab objectis specificetur, aut ad illa ordinetur, vel realem habitudinem ad illa habeat, tamen quia ab illa necessariò habent res ut sint possible, si ex parte earum non sit repugnantia. propterea dicitur potentiam divinam habere cum objectis suis necessariam connexionem causalitatis. Ubi primo quæritur de non Ente, an non Ens actu tantum quatenus tale est ad Omnipotentiam Dei pertineat? Ad quam quæstionem respondetur, cum duo in non Ente concurrant. Primum ipsa negatio, quæ dicit negationem possibilitatis seu capacitatis ad esse. Secundo verò cum dicitur Ens possibile cum negatione*

gatione

15-89
809

gatione actualis existentia: priori utiq; modo excludi ab objecto Omnipotentia, quod ejus requirit excellentia, minimè verò illam limitare. Posteriori verò modo, quatenus per potentiam Dei potest recipere existentiam, sub objecto ejus comprehendi, licet dum quatenus est non Ens actu, influxu Omnipotentia divina careat. Deinde verò tria adhuc potissimum circa omnipotentiam divinam manent dubia. I. Num ne Deo aliquid dici possit impossibile, II. Si Deus omne possibile possit facere, an effiando quicquid sibi possibile est, possit suam exhaustire potentiam? III. An Deus possit facere creaturam in finite perfectam, & num meliorem quam quod fecerit?

XVIII.

De quibus singulis ut breviter quid statuendum sit disseramus. Ad primum dicimus potentiam divinam minimè æstimandam ex modo concipiendi nostro, sed an illa quæ nos posse dicimus perfectionem aliquam includant, considerandum esse, ex quo sapius fit, ut causa illorum quod fieri non possint non à parte Dei sit, sed à parte impossibilium, quorum natura repugnat simul fieri, aut quæ non tam omnipotentiam, quàm impotentiam aliquam arguant. Blasphema igitur Plinij vox est l. 2. c. 2. qua Deum dicit non posse omnia, quia non possit sibi mortem consciscere, cum tamen hoc ipsum non perfectionis, sed imperfectionis sit. Et hoc ipsum notius non impotentia, sed summæ perfectionis sit judicium. Sic quod Deus non possit mentiri, injusta velle & efficere ut quæ vera sunt falsa sint, potentia ejus arguunt, hæc ipsa enim cum infinita Dei bonitate & virtute pugnant, si quidem potentia cum non possit exire in actum, nisi sit applicata per voluntatem, voluntas verò Dei non possit velle nisi iusta, & bonitatem suam decentia. Sufficit itaq; ad omnipotentiam divinam, quod Deus possit omnia, quæcunq; rationem factibilitatis habent, seu quæ sunt possible, omne itaq; quod involvit contradictionem, idem simul esse non esse impossibile dicimus, non ex parte Dei, sed ex parte ipsarum rerum, tam impotentiam vel falsitatem aliquam arguant. Ubi tamen accurate observandum, ne ex nostra ratione aut ductu, quæcunq; nobis non videntur possible, statim dicamus contradictoria, quæ potius subordinata sunt. Verissimum enim quod naturale lumen intellectus nostri, non possit esse regula objecti possible vel repugnantis omnipotentia Dei, quod Calviniani considerandum relinquimus.

20. Ad

AD SECUNDUM dicimus, quod cum ad divinam potentiam non solum spectet posse simul facere quamcunq; rem possibilem, sed etiam non posse exhaustiri quod dicunt, sed posse semper efficere quantumvis multa vel magna prius effecerit. Ideò cum *Suareto dicimus d. 30. p. 17. d. 16.* cum dicitur DEUM posse omne possibile, id dupliciter posse intelligi, uno modo *divisim seu sigillatim*, quamcunq; rem, vel etiam finitam multitudinem possibilem, & sic simpliciter verum esse absq; ulla distinctione; *Secundo collectivè* atq; sic neq; necessarium, neq; verum, cum in hoc quod possit quodcunq; istorum facere, cum omnibus alijs possit involvi repugnantia, quæ in singulorum productione minimè involvitur. Denique AD TERTIUM cum quaeritur *an Deus possit facere rem infinitam & meliorem, quam quod fecerit?* quoad prius, si intelligatur *infinitum in essentia simpliciter*, absolute, ac evidenter falsum est, cum hoc pacto creatura ipsa statueretur omnipotens, quæ seipsum possit producere. Imò quæ æqualis virtutis cum DEO ipsi possit resistere. Sin autem *intelligatur infinitum intentione, magnitudine, aut numero*, illud absolute & formaliter ad Omnipotentiam Dei non pertinet, sed solum sub ea conditione, an illud ex se sit possibile, seu non involvat repugnantiam. *Quoad posterius ante omnia inter potentiam absolutam & ordinatam* distinguendum est. Hæc enim cum referatur ad aliud quodpiam attributum Dei, puta sapientiam, justitiam, sæpius non dicitur posse ea, quæ tamen absolutâ divinâ potentiâ concedenda sunt. Atq; hinc de uno quolibet facile potest sumi iudicium.

XXI.

In primis vero cum potentia hæc Dei in tribus conspiciatur actionibus, CREATIONE, CONSERVATIONE, ET GVBERNATIONE propterea dicimus quod Deus SIT PRINCIPIVM, ET CAUSA PRODVCENS, CONSERVANS, ET GVBERNANS OMNIA. Veruntamen cum potissimum ea omnia quæ humana ratio in Deo, ejusq; essentia, & attributis ad creaturas relatis concipit, consideraverimus: *Hæc verò peculiaria ad creaturas collata sint Dei opera*, His ipsis disputationes nostras DE NOTITIA DEI NATVRALI concludimus, ipsi dicentes laudem honorem, & gloriam.

FINIS.

Coll. diss. A. 49, misc. 35